

Incendia.

urbe fuerunt CL omnium scientiarum linguis
rumque vernacula domicilia. Iam quæ urbi
adversa contigerint videamus. Extrema passam
à Danis Antverpiam, ac in ignibus totam con-
sedisse vetus codex testatur anno 837. Vrbis
deinde partem maximam absumit flamma an-
no 1236. Sæviit eadem tres nobilissimas depa-
sta plateas, Nieuw-stræt / Kipdorp / Kepster-stræt /
anno 1396. Ingensque rursum ignis anno 1456,
& anno 1461.

*Ædificia
sacra.*

Ædes D. Virginis ante collegiata fuit Ecclesia,
at anno MDLIX transiit in Cathedram, ad-
laborante Philippo II Hispaniarum rege, Pon-
tifice Paulo IV. Assignatum ei à Pontifice ter-
ritoriū septem oppidorum cum pagis interja-
centibus, (qui sunt CXLIV, quos in iconismo hu-
jus Diceceos videre est) longitudinis quinqua-
ginta sex, latitudinis triginta millium passuum
similium. Habuit vero Ecclesia Episcopos, I Philippum Nigriū, II Franciscum Sonnium, III Lævinum Torrentium, IV Gulielmum de Ber-
gis, V Ioannem Miræum, VI Ioannem Malde-
rum. Sextus nunc est Gaspar Nemius. Sunt extra
Ædem hanc Parœciæ quatuor, S. Georgii, S. Wal-
burgis, filia, ut vocant, Ecclesia B. Mariae. S. Iacobi Ec-
clesia ævi propinquioris est, quo vero anno ex-
structa incertum, quo in Parochiam erecta sit,
institutio Sixti IV, & Concessio Decani & Ca-
pituli tradit. S. Andrea recentior est. Docent id
Constitutionis Adriani VI, & Concessionis
Decani & Capituli verba. Cœnobia vero &
loca Religiosa in hac urbe plurima sunt. Pra-
monstratenſes tempore inter religiosos primi, du-
ce D. Norberto sub annum MCXIV in hanc ur-
bem venerunt. Celebre illa ætate Norberti
per Germaniam orbemque universum nomen,
qui Adamiticam Tanchelini hæresin, per vici-
na urbi loca sævientem, validè repressit, ves-
tis impudentiæ illius ardoribus restinctis, ob
quam rem, bene & ex voto Antverpiensem
peractam, area, domo, temploque donatus fuit.
Dominicani à Senatu populoque in hanc urbem
Argentina evocati. Designata adventantibus à
Senatu domus, areaque per ampla, & retinet
hodie vicus nomen, vulgo Preeck-heer-stræt.
Transferunt postea, veteri relicta domo, in
eam, quam etiamnum inhabitant, liberalitate
Henrici III, Brabantia & Lotharingia ducis,
anno MCCCLVI, ubi etiam templum ædifica-
runt. Prioratus S. Salvatoris, Cisterciensis ordi-
nis, vulgo Petri Potz, munificentia patricii Ant-
verpiensis, conjugisque illius Maria Terrebrots ex-
trui cœptus anno MCCXXXIII & ad optatum
aliquando finem eorumdem benignitate anno
MCCXLVII deductus, annuoque censu, qui
duodecim Religiosis alendis fatis esset, do-
tatus. Franciscani cœperunt anno 1467, locum Se-
natus dedit, donationem Philippus Brabantia
dux diplomate probavit. Carmelite anno 1485
locum ædificando delegerunt; faventibus im-
pense Maximiliano Romanorum rege, & Phi-
lippo Brabantia duce. Bogardi texendo vitam
tolerabunt, hi primum urbem ingressi anno
1228, locum tandem habitationi commodum

*Cœnobia
aut loca re-
ligiosa.**Belgica.*

anno 1346 ære suo pararunt, eoque res proce-
sit, ut textrina relicta solis divinis vacarent. Au-
gustiniani olim fuerunt, & venerant in hanc ur-
bem anno 1514. Anno 1607 domum à Senatu
impetrarunt. Alexianis Henricus Suydermannus
Germanus anno 1245 fundum & domum dedit,
ac tandem D. Augustini regulam secuti sacratio-
ni se religionis voto ligarunt anno 1461. demum
domum struxerunt insigni opere, priore longe
augustiorem, anno 1546. Capucini ultimi in hanc
urbem è Gallia venerunt anno 1585, hortatu
Alexandri Farnesi, Parmæ ac Placentiæ ducis;
Cœnobium Catholici Regis munificentissimis
impendiis struxerunt. Patres Societatis Iesu, anno
1562 urbem ingressi, primum duo, quibus plu-
res postmodum accesserunt. Anno demum
1574, paucorum, ac imprimis D. Frias Hispani
liberalitate empta domus, templumque non
totis mensibus sex exstructum. Cumque Scho-
larum angustiis juventus excluderetur, præpro-
vida munificaque Senatus largitione, augusta
amplaque domus anno 1608 accessit. Femina-
rum Cœnobia, quia numero plurima sunt, non
enumerabo. Nec pauperum receptacula, &
Xenodochia. Solum libet quænam in turbe loca
ob magnificentiam stupenda indicare. Inter pri-
ma eit Arx, five castrum hujus urbis, quinque
validissimis firmata propugnaculis mutuum de-
fensantibus: montibus unde omnem circa re-
gionem prospectes, mœnibus inclusis: Arma-
mentaria habet & commieatum recondito-
ria maxima & capacissima. Stabulandis etiam
equis loca commoda, & super hæc militi certa
tutaque domicilia. Laxissima in Arcis medio
area militari delectu commendissima, quæ justo
etiam exercitu satis sit. Turris D. Virginis nobis-
simum opus, in ingentem surgit altitudinem;
pedum nempe 420, cubitorum nimirum 488,
tanta passim pellucens amoenitate, tanta super-
stantium mutuo columnarum varietate, ut &
solaribus undique radiis transverberetur, & luci
quaqua parte viam prospectu præbeat lœtissi-
mo. Cœpta est ædificari anno 1422, ac 96 an-
nis ære publico ædificata. Datum deinde ini-
tium alteri turri, quæ fastigium templi superat;
sed interrupta pendet. Curia five Senatoria dom-
us ad invidiam reliquarum prope gentium
assurgit, vario opere interludente, Tuscano;
Dorico, Ionico, Corinthio: structura eleganti
è mäculofo candicante marmore, lividiore ta-
men, sparsimque circumvoluta canicie, ac quasi
si undatim in crisperos vortices agatur. Ædificari
cœpta anno 1560, igne perit anno 1576, redi-
taque annis sequentibus. Eminet insuper Bur-
sa, elegans per omnia opus, quadraginta & tri-
bus è pario marmore substructum columnis;
quas dissolvere ne secula quidem videantur
posse. Longitudo in centum octoginta proten-
ditur, latitudo in centum quadraginta. Quatuor
in eam excurrunt à quatuor mundi plagiis pla-
teæ, ut non consilio, sed ab ipsa natura istic loci
constitutam arbitris. Nec silentio prætereunda
Oosterlinga domus, insigne elegantia & opulen-
tia monumentum, patet in longitudinem 230

*Opera ur-
bis magni-
ficæ.**plus*